Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



necessitates corporis sustentandas. non tamen in pas
sionem seu saturitatem uentris. Nam et somnus natu
raliter inest homini. sed non in saturitatem siue resolutionem
corporis. quo possimus humiliare passiones ac uicia
carnis. Sacietas enim somni mentem sensumque hominis
stupidum pigrumque reddit. uigilie autem tam sensum quam
etiam mentem nostram subtiliorem et puriorem efficiunt.
Ita enim et sancti patres dixerunt. quia uigilie sancte puri
ficant et illuminant mentem. Sed etiam irasci naturaliter
inest homini. sed non in commotione passionis. sed ut irascatur
contra semetipsum. ac uicia sua ut facile emendare et a
se abscidere possit. nec non etiam si quid peruum et contra precep
ta dei uideamus alios agere. oportet nos contra uicia quidem
eorum irasci. ipsos uero diligenter corripere et increpare. ac
monere. ut emendati saluentur. et ad uitam eternam perue
niant.

Erat quidam senior in heremo interiore. per
multos annos in abstinentia. et in omni stu
dio spiritali nimis laborans. Aduenientesque
ad eum quidam fratres. admirati sunt eius perseuerantiam dicen
tes. Quomodo toleras istum tam aridum et squalidum locum
patrum. Quibus ille respondens ait. Omnis labor tocius
temporis quo hic degeo. non dum unius hore spatium eternorum
tormentorum gehenne habet. Oportet enim inquid nos in
paruo tempore uite istius sustinere laborem. et macera
re passiones corporis nostri. ut inueniamus in illo futuro.
et eterno seculo. quod nunquam deficiet. eternam repausationem.

Referebant quidam nobis sancti
seniores patres. de quodam fratre dicentes. quomodo quodam
tempore ita impugnabant eum demones. ut stati